



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

XL. Pluralis locutio duorum numero est contenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)



REGULA XL.

Pluralis locutio duorum numero est contenta.

Quæres primo. Quis hujus Regulæ sensus ?

R. Quando lex vel alia dispositio plurali utitur numero, ad eam verificandam duo requiruntur, & sufficiunt. Ratio est: quia cum numerus singularis non nisi de uno dicatur, ideo cum sint plures quàm unus, in numero plurali comprehenduntur.


Quæres secundo. Quæ Regulæ exempla ?

R. 1^{mo}. Juxta canones antiquos Sacrificio Missæ ad minus duo assistere debebant. *Can. hoc quoque. 61. de consecrat. dist. 1.* cum in missa Dominus vobiscum, & Orate Fratres in plurali numero dicatur. 2^{do}. Si Papa ad plura dispensat beneficia, id solum de duobus intelligitur, *Cap. is cui. 19. de prabend. in 6. 3^{io}*. Si in testamento post annos

relieta sit servo libertas, post biennium liber erit. *L. libertas. 17. § post annos ff. de manumiss. testam.*

Quæres tertio. Quæ Regulæ exceptio ?

R. Nisi plura exigi, aut unum sufficere Jus exprimat, aut aliunde de eo constet. Ita si ad actus valorem duo requirantur testes, regulariter duo sufficiunt. *Can. si testes. 3. caus. 4. q. 3.* quia tamen jura plures testes ad solemne testamentum requirunt, hæc Regula in testamentis non obrinet. Pronomina: Nos, Vos, Vester plura significant, & tamen ex consuetudine propter dignitatem personæ pro uno sumuntur: quemadmodum Papa se semper in plurali scribit. *Cap. quam gravi. 6. de crimine falsi.*



REGULA XLI.

Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

Quæres primo. Quis hujus Regulæ sensus ?

R. Qui aliquid facere debebat, nec facit, ei ad pœnam non imputatur omisso,